Poësis 1427.

Maczynski Joannis: Proasmata euchari-

PROASMATA EVCHARISTICA

QVÆ

Quatuor Virtutes Principes

Admodum R. D.

D. VLADISLAO SZOLDRSKI

Metaphysicæ Auditori

Dum theses Ethicas de iisdem Virtutibus

Inclytæ Academiæ Parthenicæ

Inscriptas

In Collegio Calissiensi Soc: IESV

propugnaret.

Dixerunt, cecinerunt, panxerunt.

PER

IOANEM MACZYNSKI

eiusdem Academiæ Consultorem.

CALISSII. Ex Officina Alberti Gedelii.
Anno Dni. 1624. 1645.

Xenoph: Orat. de Agesilao

QVI gratis beneficium accepere, hi iucunde semper beneficio seruiunt: tum quia beneficio sunt affecti, tum quia prius crediti sunt digni esse vt gratiarum depositum tuerentur.

PROASMA I.

PRVDENTIÆ.

Si bene prudens eris, in omnibus fortunatus eris.

Menander.

PRima ego tuæ celeusma
Occinens rati, sinistrum
Porchmea, & maris sequaces
Nesciæ pati maleas,
E sydereis prodeo regnis.
Me sinu Iouis solutam
Ditis horruêre manes,
Mox tuæ comes celocis,
Circio obstiti furori,
Domuiq; greges Abderiticos.
Nil timet cui medulla
Palladis saginat acre
Pectus, & palustrem amussi
Docta regulare vitam
Virtus faciles imbuit annos.
Creuit inclytus Mineruæ
Perpolitus arte Vlysses,
Belluosa dum voracis
Spernit exul ora Scyllæ,
Vtre Æolios inhibens fratres.

Et tuum parat perenni
Dia diuitare lauro
Verticem Themis, laborque
Stagyriticæ antecursor
Metæ, meritos spondet honores.
Eruditæ amica chartæ
Mens placet, melos dolati
Digna quam canat Maronis,
Digna quam Charis benigno, &
Lustret Xenius Iuppiter oculo.
Perge, crim[illegible]um subactrix
Te sequor, lues pudoris
Caucaso premenda mordet
Iam solum; fauent poli, astra
Et Chrysoprasis æmula gemmis.
Perge, me Pharum supernus
Dat tibi Strategus, exhinc
Irritas vomet procellas
Stirps Opis, cadet propago
Sceleris, morum & mera loligo.
Anchoræ Petri rudentes
Alliga tuos, Auerni
Quam truces timent balænæ.
Firma stat, licet feroces
Decumana rotet Naias arenas.
Prende cymba fausta portum
Peruium, nec æstuosis
Cede fluctibus, piaclum est
Concuti metu, dum in alto
Sapiens animo fulgurat astrum.

Proasma

IVSTITIÆ

Iustitiæ sacra iura, domant genus omne malorum

Hesiod.

SEnecæ tragicis decorata modis
Spreui vbi tenues Astræa lares
Vestæ, lolium lappaq; sterilis
Mox cinnameos obruit agros;
Et funereas truculenta pyras
Conclamatæ Libitina struit
Probitati, adigunt Phædræ Hyppolitos
Famam Cyprius subdere signis.
Iacit insulsum scomma Cicerrus
Cuius vitæ, est ganea modulus.
Dum videt agiles properare viros
Ad Sisyphiis abdita saxis
Symbola honoris. Nausea nostri
Naulum obtrudit; fierid; cupit Mortis alumnos.
Postliminio reuocata meos
Tersa inspexi fronte penates.
Rediit pietas, rupea statio
Data virtuti, licet hydrochous
Egerat amplo pelagum harpagios
Immota suum tenet illa locum.
Latuit nostrum haud Szeldrscia puppis

Obtutum, quam Cynosura pio
Non destituit flammea radio,
Vidua Euphratis nec iacuit aquis,
Quæ sunt nostri symbologlypton
Numinis. atrox iniustitiæ
Trepida mysles, in Mulciberi Clause tabernis.
Hac tua subigam colla phaselo,
Et Tænariis dabo iura plagis,
Omnia rigido trutinans scapo.
Triticum hæc medius taurea paleis
Leget, Atrides, ferale coquens
Epulum fratri, non effugiet
Puteal; propriâ pelle, Sisamnes
Crimen iudex soluet iniquus.
Animo blandas generoso artes
Respuo Suadæ. caue, lethalem
Dum feciali digito Oenopides Concutit urnam.
Curre per arctos prora Mæandros,
Digna indigetes portare, vehis
Iouis Hercei sobolem, in vitreis
Hyperaspisten, quam tibi Cereris
Legifera dedit bonitas regnis.
Nil metue, exhinc horrida sceleris
Lerna ante tuas tremet antennas.
Ius cole, quod qui violat, sensim
Debita sequitur pœna nocentem.
Aspice quid lex moneat, grandis
Quidue prohibeat Curia patrum,
Et sic nullis agitata vadis
Tutum excipiet carbasa littus,
Teque Eunicem Phorcys rutilis Inseret astris.

PROASMA III.

TEMPERANTIÆ.

Quanto quisq; sibi plura negauerit, a Diis plura feret.

Horat. lib. 3. Od: 16.

FAma pernices agedum quadrigas
Solue decurrens per vtrumq; Phœbum,
Quà diem pingit roseo colore
Mygdonis, vel quà Phâethontis vrget
Hesperus carrus, tenebrisq; mundum
Implicat, cœlo faculas minores
Inferens, donec veniens adornet
Cynthia lumen.
Hâc, meas, pergens, celebra sorores,
Has ferat nunquam moritura penna,
Me meum solam, celebrare nomen
Suffecit soli, cytharam Camœnæ
Denegent quamuis virideśq; lauros,
Me tamen supra feret aura cœlos.
Gaudeant illæ genitore, quondam
Maximi (si mens) cerebro Tonantis;
Non Iouis, nec me vetulo Cybelles
Prædico partu, paritura quamuis
Prodeam Diuos. Deus est rebellem
Quisquis audaci sceleris ministrum
Temperat ausu.

Spiculat

Spiculat contra, furiale telum
Ditis, euibrans Erycina demens:
Tempera temet, Deus es, Deorum
Munus hanc primum superare Lernam.
Bacchus imbelles pateras, duellis
Destinat; turpi stomachone victam
Victimam condes, cyathisq; franges
Tempus, vrgendum meliore vitâ?
Tempera temet, Deus es, Deorum
Gloria prima
Frangere Bacchum.
En Deos fingo labarumq; Diuis
Explico quamuis genitrix Dearum
Nulla me natam vocitet, Deusue.
Non polis exul venio, sarissam
Lemniam cultor meus haud requirit,
Lunet hunc contra Paphius Cupido
Hinc atrox cornu iaculis, stet inde
Ferreus imber:
Victor vtrinq; est.
Audeat contra Bromius, gementem
Ferre spumanti pateram liquore;
Victor hic. sed iam proprias tacendo
Tempero laudes.

Proasma

PROASMA IV.

FORTITVDINIS

Non est virile terga fortunæ dare.

Seneca.

GNaræ Mantoos agitare cantus,
Prome festiuos Dea Dithyrambos;
Entheo Phœbi pluteo latentes
Euoca Musas, Lyricisq; noda
Verba corymbis.
En SZołdrscius beato
Extitit hodie victor agone
Lembus; Non sic Læa Getuli
Fertur in iras incola nemoris,
Nec ita Icarii tuba flammescit
Astri; vt valido robore tincta
Impugnat alto
Mens sopitos
Veterno, & incitatis
Frænat habenis
Quos insitus virtutis ardor
Quærere vult populorum sanguine nomen.
Pugnam in Lipsydrio pugnasti ô puppis, amana
Chloridis Elysys ambiri digna roseis,
Sarmatici archetypon statuo te roboris, incus

Fortis omnes spernit ictus,
Ferreos & ridet imbres.
Nec Laconum, sola tellus, dat viros Mauortios,
Alit & Lechicum clima, ingenium
Aptum Herculeis anaglypta toris
Ferre Mineruæ
Scuta: Polonis
Alitem amici
Reddo Tonantis
Qua mea seruat
Signa, nec vllo
Frangitur hostis
Impetu.
Perge prora diues isto
Facta signo, & ominosis
Me Duce resiste fatis.
Sperne lethum, contemne metum;
Fuge dum Siren cor Agathoniis
Fascinat verbis malesuada docta.
Ne fors ipsa tuis experiare malis,
Quàm sit Samias gustasse rosas
Exitiosum.
Renouant vires ex Hecatea
Sumpta abacu modico peritura analecta catino.
Nil time, augetur tibi robur, incus
Fortis omnes spernit ictus,
Ferreos & ridet imbres.
Siq; racematim succrescant crimina, pellax
In penitas vel si insinuet sua toxica fibras
Impostor; virtus scelerum est panacea, Tyrannum
Vinces, ærata constabilita basi.